

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

05

SIV 1956

0.58

@

VERA
SAPIENTIA
Convent. VEL Observant.
UTILISSIMÆ
CONSIDERA-
TIONES

Ad acquirendum sanctum
DEI timorem, distributæ in
singulos hebdomadæ dies.

ACCREDIT CONSIDERATIO
de Confessione ritè instituenda.

Omnia Italicè primum scri-
pta à quodam Societatis
JESU Religioso.

Nunc latinitate donata.



DILINGÆ impressa anno 1673.

Nunc reimpressa Olomucii typis Joan.
Adami Auinger, An: M. DCG, XXI.

MULL 3091

*Ecce timor Domini ipsa
est sapientia, & recede-
re à malo intelligentia.
Job. 28.*

AUGUSTISSIMÆ
ROMANORUM
IMPERATRICI
ELEONORÆ
MAGDALENÆ
THERESIÆ

Hungariæ & Boëmiæ &c.

REGINÆ, &c.

ARCHIDUCI
AUSTRIÆ, &c.

Natæ Comiti Palatinæ
Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cli-
viæ ac Montium Duci &c.

*Fæcundam ac perpetuam
felicitatem.*

AUGUSTISSIMA
IMPERATRIX
OMNIUM CLEMENTISSIMA
DOMINA
ET
CARISSIMA DOMINA
SOROR.

Dum Orbe Christiano prope-
modum universo hostile in-
sonat Clasicum, placuit & Musis
nostris, reliquo tantisper Lyræ ci-
tharaeque pacifico Modulamine,
plenam Martii horroris spiritus-
que tubam animare ; tubam il-
lam, qua DEUS Exercituum Domi-
nus, olivifera circum juga Sionis,
feciales suos jussit clangere, ut ad
nova bella, & pugnanda *prælia Domini* torpentes mortalium ani-
mos excitarent. Tametsi enim
vere-

verecundior adhuc Pallas nostra,
vix pedem efferre ausit è Natali
limine, implendo *nominis* suo non-
dum matura, memor tamen, na-
tam se esse *Leonum* sanguine, & He-
roum lacte pastam, ausu Hercu-
leo, *Monstra* superare prius, quam
nōsse posset, & vel in ipsis hydras au-
sa est elidere cunis. Nempe sic, sic
etiam, *pygmæus* parvis currit bellator
in armis. Neque opus fuit per
ambages hostem quærere, ultro
se obtulit, quem privatis singuli,
quem coñunibus insectentur o-
diis universi. Nec vulgaris ille aut
de trivio, sed exquisitæ prorsus
malitiæ famâ insignitus, & palma-
ribus insuper primorum Capitum
stragibus fastuosus; ut cui sacrum
Sanctumque nihil, non Regum
Magnatumque palatia, non splen-
didæ siderum domus, & excelsæ
Cælitum arces, quas oppugnare
non solùm nefario Titanum ausu,

sed & ipsum inaccessum adorandum Deitatis solium convellere tentavit violator sacrilegus & labefactare. Dignus profectò hostis, in quem universus superum inferumq; furor desæviat; neque minùs etiam metuendus, ut qui aheneum *Aurei Oratoris* peccatus, ad quasvis *Constantinopolitanæ Junonis* iras infractum, sui pavore nominis unus solusque concussit. Huic imani monstro, Lernææ huic hydræ, peccato, inquam, malorum omnium pessimo quærebatur Alcides suus, fabuloſo illo fortior, veteri sapientior, gentili sanctior. Adfuit è Cœlo supremi Numinis saluberrimus Timor, belli sacri non sapientiâ minùs, quam fortitudine futurus Archistrategus, et enim *Timor Domini expellit peccatum, & ipsissima Sapientia est Timor Domini.* Adfuit & ex Hetrusca gente succenturiatus Heros, qui diu-

diutinâ mortalium socordiâ lan-
guescens prælium, ut denuò ac-
cenderet, amentatas è Cælesti illi
pharetra sagittas eo nisu intorsit
in hostem, ut quot pennæ ductus,
tot crederes Jovis fulmina, Infer-
nalem Hydram penitissimè exani-
matura. Ejus præliandi metho-
dum & nos secuti, easdem omni-
no copias, quò latiùs excurre-
rent, strages ubique lætissimas edi-
turæ, Latinis primùm, tum etiam
vernaculis patriæ nostræ armis &
characteribus, nostramet manu,
studiis nostris, in partem scilicet
victoriæ venturi, instruximus, in-
signivimus, ut ubi latissimè, effre-
natam inter Mavortis licentiam,
ea pestis grassatur, illuc velut in
Lerna sua infestaretur potentiùs,
idque ductu potissimum, & felici-
bus auspiciis vietricium Aquila-
rum, AUGUSTISSIMA IMPERA-
TRIX, ut quæ summi Jovis Armî-

geræ, Austriadum jam pridein di-
catæ nutibus, Eorundem etiam
Imperiis edoctæ sunt, in imanem
hunc Enceladum omnem prodi-
gere fulminum suorum appara-
tum. Quòd si Auctore suasoré-
que Tullio ità suscipienda sint bella,
ut nihil aliud quām pax quæsita vi-
deatur, tametsi quæ cum vitiis ge-
runtur, sint usque quaque digna
laude; sperandum tamen est, pro-
fligato hoc semel extra Orbis no-
stri confinia Numinis hoste, velut
incentore bellorum omniū, qui-
bus miserè adeò inter se invicem
colliduntur conterunturque æ-
muli mortales, reddituram tandem
laureatam pacem, quam & justif-
sima arma LEOPOLDI, Cæsaris
Invictissimi, & Tua pientissima
vota, AUGUSTISSIMA IMPERA-
TRIX, & armata hæc studia no-
stra, & bonorum omnium deside-
ria quærunt, ambiunt, sectantur,

exoptant unicè, velut accessurum
Majori Numinis Gloriæ , viæ rici-
bus Austriadum trophæis, bono-
rum omnium commodis, incre-
mentum, ornamentum, & com-
plementum. Quæ inter vota, hos
manuum nostrarum labores, & la-
borum nostrorū primos fructus,
unáque nos totos, MAIESTATIS
Tuæ Clementissimis favoribus
dicatos cupimus, & consecratos.

Neoburgi ad Istrum
Calend. Decemb.
M.DC.LXXVIII.

Cæsareæ Majestatis Tuæ

*Humillimi ac devotissimi & obe-
dientissimi Fratres ac Servi.*

Alexander Sigismundus,
Franciscus Ludovicus,
Fridericus Wilhelmus,
Philippus Wilhelmus,
Comites Palatinæ
Rheni.

Benevolo Lectori.

IMpeditâ in horologio primâ rotâ , re-
lique omnes quiescunt , itâ in homi-
ne , impedito ab ignorantia intellectu ,
velut primâ animæ rationalis potentiam ,
etiam voluntas , qua illo motu dirigitur ,
ad bene operandum redditur inepta.
Huic perturbationi , qua ut plurimum ,
ex ignorantia & neglectu primorum fidei
axiomatum , in mores Christianos irre-
pit , ut pro virili cantum eam , paucis pa-
ginis rationes aliquas complexus sum ,
qua videbantur sat fore efficaces , ut cui-
vis homini Christiano peccati horrorem ,
similque fugam incuterent pœnarum ,
qua manent peccatorem . Et sanè felix
ero , si prædictam ignorantiam , velut ani-
ma summè noxiā , tam paucis chartæ
foliis è corde tuo eliminavero . Id porrò
efficiendi hac ferme erit methodus : quo-
ties manè è somno surrexeris , memor esto ,
ut profundissima cum reverentia adores
Dominum , qui te creavit , gratias age pro
bonis omnibus tibi prestitis , & lumen pe-
te , quo clarè dilucideque cognoscas , quan-
tum sit malum , divina ipsius mandata
trans-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

transgredi, eumque offendere, ut hoc cœlesti lumine illustratus diem imminentem bene Christianeque transfigas: lege postea Considerationem diei respondentem, non autem festinando, sed membra singula attentius ruminando, memor scilicet, eas naves, quæ tantum obiter mare permeant, non piscari uniones, sed eas tantum, quæ fixiūs uni loco inherent. Quod si negotia statūs tui tantum quandoque otii tibi non indulgeant, ut propositam veritatem pensiculatiūs considerando integrè comprehendas, id saltēm conare, ut vel unicum articulum, quā potes, diligentia, evolvas. Ante omnia autem temporis tui rationem ita dispensa, nè quid desit precationi, ad cuiusvis Considerationis finem annexæ, devotiūs recitandæ. Ad vincendum quippe peccatum præsentius nullum est remedium, quam cum Mose manus identidem in cœlum habere extentas atque elevatas (Oportet semper orare, & non deficere. Iuc. 18.) si hoc exercitio diligenter ac fideliter usus fueris, ausim ego promittere, Præpotentem illum Dominum, qui lutō adhibitiō, visum restituit cœco nato, pagina-

PRÆFATIO AD LECTOREM;

rum istarum ministeriō, in corde tuo re-
novaturum mirabilia dexteræ suæ, lar-
giturumque lumen verae illius sapientiæ,
cujus initium consistit in salubri timore
omnis DEI offensæ. Initium Sapien-
tiæ timor Domini. Psal. 110.



CON-

CONSIDERATIO I.

PRO DIE SOLIS.

§. I.

Peccatum est injuria Deo illata.

Considera primò, quòd, quoties-
cunque peccas, verâ injuriâ affi-
cias DEUM, eumque contemnas. Ne-
que id ità dictum existimes, quemad-
modum Metaphoris uti Oratores so-
lent. Neutiquam verò, sed pura puta
est veritas, nihil per auxesin adulterata.
Hoc sensu loquuntur omnes Sancti Pa-
tres, Theologi omnes, ipsæque adeò
sacræ paginæ, quæ id ipsum inculcant
creberimè : peccatorem furiis in DE-
UM agitari, insurgere adversùs ipsum,
cūq; habere contemptui, ac concul-
care. Sed dices fortè, atqui ego non
pecco, ut DEUM spernam ; id solùm
quæro, ut mibi, meæque lubentiæ fa-
tisfaciam. Itáne verò ? fac esse ità ut
dicis : at scire te oportet, duplicitis ge-
neris esse contemptum, expressum unū
& directum, indirectum alterum, quem
Scholæ interpretativum vocant. Ex
te ipso jam quæro : nunquid contemni

te censes à filio, servo, conjugé, si, insuper habitis mandatis tuis, obedientiam tibi non præstent? Principem putas colli ab eo, qui latae ab ipso leges protrevit infringit? Nunquid amico illudis, cui tergum vertis? & quis audebit delinquere in conspectu judicis, quem veretur? Pro certissimo itaque hoc habebit: peccato quolibet contumeliam interrogari DEO, teste Apostolo ad Romanos 2. *Per prævaricationem legis, DEUM in honoras.* Tametsi nolle te dicas intentione, contrarium tamen ostendis factō, dum legi ipsius non obedis, justitiam non times, bonitatem non amas, & omnipotentiam non aestimas, nec curas imensitatem illius, qui videt peccata nostra, ea odit, prohibet, & tantam indē concipit indignationem, ut, si mori posset Deus, cuius vita est æternitas, mors ipsius futura esset peccatum mortiferum (A.) Vide igitur, an sit ratio, dicendi tam intrepidè, non peccato, ut DEUM offendam, sed ut mihi satisfaciam.

§. II.

Quis sit offensus?

Considera secundò. Quis sit ille. quem contemnis. Finge intelle. Qui tuo pulchritudinem tam excellen- tem, quæ solo sui aspectu omnium rapiat corda mortalium, ità ut vel semel eam, uno duntaxat momento intueri, sit æstimabilius, quam per multa sæcu- la frui omnibus hujus mundi voluptati- bus. Finge Majestatem tam subli- mem, cuius in obsequium omnia per- peti tormenta plùs valeat, quam toti mundo dominari. Finge bonitatem tam immensam, quam una solùm cogita- tione offendere pejus sit, quam re ipsa in nihilum redigere cœlos, natu- ram destruere universam. Atque his omnibus cogitatione atque animo conceptis, quotam essentiæ divinæ partem censes te attigisse? est enim ve- rò infinitè adhuc major omni eo, quod concipere intellectus noster potest. Finge plures semper & plures perfe- ctiones, easque centies, milliesq; mul- tiplica, arithmeticâ proportione eas compara stellis firmamenti, aëris ato- mis,

mis, guttis aquæ; scito tamen, enor-
mem hanc multitudinem, DEI perfe-
ctionibus collatam, infinitis modis ad-
huc esse minorem, quam sit exilis ver-
miculus, cum toto comparatus uni-
verso. Quid igitur animo concipis,
cum DEUM audis, quid putas hac vo-
ce significari? nempe: fuisse omni
tempore, occupare omnem locum, scire
omnem veritatem, possidere perfectio-
nes omnes, posse, quantum libet o-
mnibus denique bonis frui. Recte
ais: hunc tu autem Dominum univer-
sorum, qui major est omni nostro cogi-
tatu, melior omni eo, quod usquam est,
fons & origo rerum omnium, qui solo
sui aspectu æternum reddere te bea-
tum potest, hunc tu DEUM peccato le-
thali probrosè lacefisis, neque tamen
expavescis?

§. III.

Quis sit Offensor?

Considera tertio. Quis ille sit, qui
hunc Dominum offendit, tantaque
afficit Injuriā. Temet ipsum igitur
corpore tenus considera. Esne aliud,
quam nihilum luto vestitum? paucos
autem

ante annos, nec hilum quidem tui erat
in rerum natura, paulò pōst rursum à
vermibus consumere, & modicum il-
lud, quod supereft, in cineres redibit.
Hoc igitur pauxillum pulvifculi audet
adversus DEUM insurgere? considera
te postmodum in peccato Originis
conceptum, neque adeò te fuisse prius,
quam effe inimicus DEI, mancipium
Diaboli, privatus omni gratia, æter-
num cœlo exclusus. Hæreditas tua
est ignorantia mentis, malitia volunta-
tis, imbecillitas ad bonum, pruritus ad
malum insatiabilis. Huic pessimæ hæ-
reditati adjecisti ex tuo tot peccata
actu commissa, atque enatas inde pra-
vas habitudines, quibus debitorem te
fecisti divinæ justitiæ, omnique auxilio
indignum. Quòd si penitus adhuc te-
metipsum cupias dignoscere, institue
comparationem te inter & genus ho-
minum universum; quantula tu igitur,
DEUM immortalem! es portio tantæ
multitudinis hominum, nempe qui
fuerunt ab initio sæculorum, suntque
hodie, & erunt ad finem usque mundi.
Quis vero es etiam comparatus omni-
bus

bus Angelis, omnibus rebus creatis, & creandis, quæque adhuc latent in thesauris inexhaustæ DEI potentiae? Quis te unum ex innumerabili hac multitudine dignosceret, quis ullam tui habere rationem? quod si quasi nihilum reputeris, in comparatione tot innumerabilium rerum creatarum, cogita quid sis collatus DEO, in cuius oculis omnis hic numerus, atque hoc omni infinite etiam major, perinde est, ac si non esset? *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isaiæ 40. Quid nunc ais? an adhuc sat animi tibi est, cum peccatoribus lacesendi DEUM? profecto ne formica quidem desperet magis, solem insano ausu impetitura.

P R E C A T I O.

Quid magis admirer, Benignissime DEUS, sanè nescio, tuamne inauditam patientiam in me tolerando, an meam incredibilem impudentiam in te offendendo, id sanè, inquam, nescio. Ego te considero in throno Majestatis tuae, innumerabilem Angelorum & beatarum mentium multitudine stipatum

tum, qui dum vident infinitam magnitudinem tuam, præ tui reverentia contremiscunt, & horrore attoniti sacrum illud trisagion absque intermissione ingeminant: Sanctus! Sanctus! Sanctus! Neque hac irrequieta laude contenti, cooperiunt facies suas venerabundi, & prosternunt se ante pedes tuos, velut qui non mererentur assistere throno tuo, ego autem abjectissimus vermiculus, dum hi te adorant, & colliquescunt amore ac reverentiâ tui, ignominiis te, ac contumeliis lacefso; quos si tu feras diutiùs malitiæ excessus, & ego comit. tere porrò pergam, non video sanè, quomodo aut clementia tua, aut mea malitia progredi plūs ultrà possit. Merabar equidem, cùm primùm peccâsem, ut hæc, cui insisto, tellus non ferret me amplius, merebar, ut ad obsequium meum deinceps non essent elementa, neque suam mihi imposterum Sol ut lucem dispensaret, sed fulminibus totidem, quot radiis feriret, merebar, ut novus pro me solo atque unico fabricaretur infernus, novus inquam, quia vetus ille, qui nunc est, castigandis

dis sceleribus meis non erat sufficiens.
Tu autem, mi DEUS, in locum
horum omnium, offers mihi gratiam
tuam, primusque pacem expetis. O
bonitatem inauditam! O patientiam
omni majorem humana, veraque divi-
nam! advertite igitur aures, vos cœli
incolæ, ad mentis meæ sententiam. Ut
respondeam quadantenus tanto amo-
ri, protestor, quod, tametsi infernus
non esset, peccatum tamen mihi disipli-
ceat magis, quam omne aliud malum,
idque unicè, quia est offensa DEI mei,
quam neque committam amplius totius
mundi gratiam, licet inferni essem pror-
sus securus. Hunc meum vestrumque
DEUM habeo imposterum eo loco,
quo meretur haberi bonum infinitum,
inestimabile, incommutabile; quod
solum infinita abyso misericordiae suæ
demergere potest abyssum malitiæ
meæ. Proterva hæc lumina, infelices
hæ manus, lingua ista miserabilis, &
corpus hoc fragile, quæ instrumenta
fuere peccati, volo, ut deinceps & pœ-
nitentiæ serviant. Tu mi DEUS, per
hanc ipsam bonitatem tuam, per ho-
norem

norem sanctissimi Nominis tui, per gloriam divinarum tuarum sponzionum, concede obsecro, ut ita fiat, & misericordias tuas novis miserationibus cumulando, ita transmuta cor meum, ut quantum Nomini tuo hactenus sui refractorius, tantundem imposterum sim fidelis, quantumque te offendit, tantum tibi serviam, jamque hoc momento incipiam, nunquam finitus in æternum. Amen.

CONSIDERATIO II. PRO DIE LUNÆ. Circumstantiæ , peccatum aggravantes.

§. I.

Locus.

Considera primò locum , in quo peccasti. Peccasti quippe DEO præsente,& inspectante : Legem igitur infringis,& adest legislator : rides pœnas, & spectat Judex , conculcas sanguinem, pretium redemptionis tuæ, & videt Redemptor. Amicus esse renuis infinitæ illius Majestatis, idque non clam

clam & verecundè, sed propalàm & in faciem, malens esse mancipium rebel-
lis illius spiritùs, quocum in perniciem
DEI conjurâsti, ut tolleres coronam de
capite ejus: verbô dico, quidquid dici
potest horrendum & abominandum:
Peccâsti, fecisti mala & potuisti, Jerem. 3.
Quòd si Dæmon impulerit te ad pec-
candum imposterum, consilium meum
audi, de loco saltèm circumspice, quo
DEUM fallas, aliàs enim, ecquomodo
satìs animi tibi erit, patrandi in præsen-
tia DEI, peccatorum vindicis, in ocul-
lis illius mundissimis; quomodo, in-
quam, animus tibi erit patrandi flagitia
illa, quæ me præsente non auderes?
aut minus forsan est peccare inspe-
ctante DEO?

§. II.
Tempus.

2.

Considera nunc etiam tempus, quo
DEUM offendisti. Postquam
nempe per sacrum baptisma in filium
te adoptavit, postquam toties ad sacra
Mysteria obeunda admisit, postquam
vitam pro te & sanguinem dedit, quò
tu

tu non amplius peccares ; Post hæc tantaque motiva ipsum porrò non offendendi, offendisti tamen. Creavit te DEUS ex mera sua bonitate, è tot millibus te elegit, qui, si fuissent conditi, ipsum fortè nunquam offendissent : creavit te in patria Christiana, ubi cum materno lacte sanæ fidei doctrinam hausisti, conservat te modò per momenta, providet tibi de viatu, vestitu, & habitatione ; ex nutu ipsius, non tantum res creatæ inferiores, sed ipsi etiam Angeli, cœlestis aulæ proceres, tuis allaborant obsequiis ; tot tibi insuper immittit salubres animi motiones, tot periculis servat immunem, tot ultro condonat supplicia, tui causâ omnem profudit sanguinem, suæmet vitæ prodigus : tibi Corpus suum in sanctissimo Eucharistiæ epulo præbet in cibum, tibi omnes gratiæ suæ thesauros, tibi æternam paradisi felicitatem destinat, te perpetuò cogitat, te gestat in sinu, lactatque uberibus suis. Atque hoc ipso tempore, quo tot tibi beneficia, quot momenta dispensantur, tu benefactorem tuum omnium
ma-

maximâ afficis injuriâ, & rabidos den-
tes infigis illis, ut ita dicam, uberibus,
quibus vitam fugis. Crediderim ego,
feras ipsas rubore ac verecundiâ suf-
fundendas, si illarum quæpiam ingra-
titudine par esset peccatori.

§. III.

Adjumenta.

Considera tertio, quibus adjumen-
tis ad peccandum sis usus. Non
solum peccasti in Dei præsentia, & in-
ter brachia ipsius, sed etiam suismet
ipsum beneficiis, tanquam armis, im-
petere ausus es. Sensus illos, quos à
DEO accepisti in animæ bonum, qui-
bus rebus occupasti? illos oculos, ma-
nus illas (ah! sceleratas manus, pluri-
morum maximorumque ministras fla-
gitiorum!) corpus illud, quod Re-
demptor tuus, toties pavit suomet cor-
pore, veraque præsentia beavit; cui
rei servierunt? largitus est tibi DEUS
voluntatem, capacem amandi suum
Bonum, tu autem, spreto æternæ vitæ
fonte, continuis inardescis desideriis
apponendi labra ad cloacam lutō ple-
nam

nam, spurcitiisque. Dedit tibi DEUS intellectum, ad cognoscendam primam veritatem expeditum, quibus autem cogitationibus eum tu excolis? nempe ut nova identidem excogitet machinamenta, quibus tam munificum donatorem tuum offendas. Quid amplius? Imò verò parum adhuc est, rebus creatis abuti adversus DEUM, ipso Condитore adversus ipsum abutimur. *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mibi laborem in iniquitatibus tuis.* Isiae 43. Nempe quia bonus est DEUS, quia misericors, quia ad iram tardus, & parcens super iniquitate, quia in peccatorum remedium instituit Sacra menta, ideo liberiùs eum offendimus, dicimusque: patrabo hoc flagitium, tum deinde rursus exomologesi abolebo. O rem detestandam! non sufficit ergo impiis mortalibus, irritare res creatas adversus creatorem, vult insuper, ut ipse ad horrendum sui Deicidium concurrat Deus. *Servire* facit illum in iniquitatibus suis.

P R E C A T I O.

OInexhaustum bonitatis pelagus !
Deus infinitæ Sanctitatis, infinitæ æquitatis, osor peccati infinitè !
Nunquam ità confusio operuit faciem meam, quām hac hora, qua ingratitudinem meam considero, verè diabolicalam. Parùm ergo fuisset, in faciem tibi insultare, offendere te tuismet gratiis, nisi tecum ipso contra te pugnarem ? à te, mi Domine, per tuam sanctam fidem illustratus, cognovi infinitam misericordiam tuam, tu omnem sanguinem effudisti è venis tuis, ad parandum mihi lavacrum, tam salubre, tam facile in sacro pœnitentiæ tribunali ; ego autem malitiosus ac ingratus, his illustrationibus usus sum ad te offendendum liberiùs, atque proterviùs : tu quantò erga me fuisti benignior, tantò ego erga te fui malignior, & cùm remedia mihi reddideris facilia, hinc ego ansam accepi, tantò minore metu te offendendi ; me ipsum ità animans : sufficit peccata omologesi expiare, si Deum offendeo ; an verò iā Deo placeat, displiceatve, meā parūm

rūm refert. O ! si vel umbram saltēm
excusationis invenirem, quam præten-
derem peccatis meis, sed & hæc mihi
deest. Quis porrò auctor mihi fuit
hujus contra te , mi Deus perduellio-
nis ? an forsan necessitatis alicujus vio-
lentia ? at verò tantūm hoc abest, ut nè
illecebra quidem aliqua fuerit grandis
boni, imò nihilum erat, & minus nihi-
lō, quod me avertit à te Summo Bono.
Non mihi promisit dæmon , ut tibi o-
lim in deserto, omnia Regna mundi, si
morem ipsi gererem , sed promisit vo-
luptatulam tam brevem, quæ disparuit
velut umbra : promisit delectationem
tam sordidam , cujus ipsas adeò tene-
bras puderet, quæque vel sola sui di-
vulgatione aërem esset infectura. Et
ego insipiens ac stolidus ut ex hac pu-
trida cloaca haurirem, te sprevi, mare
immensum dulcedinis sempiternae :
*Propter quid irritavit impius Deum, pro-
pter quid? Psalm. 10.* Propter hoc nem-
pe nihilum, quod fuit, tanquam non
esser, propter hoc, flocci habui bene-
ficia tua, propter hoc modicum & exi-
le, perdidi gratiam tuam, cujus vel mi-

nimam possidere particulam plus vallet, quam universas habere mundi divitias, & quod plus est parasangis infinitis, propter hoc modicum peccavi, & malum coram te contraque te feci. Hoc inquam ita est, nec inficiari audeo: video tamen te, Benignissime Salvator mi, apertis brachiis praestolantem me, ut denuo excipias me fugientem ad te. Quod si ita est, venio, ecce: ad te, allectus amore illius summæ ac infinitæ bonitatis, quæ tametsi à me toties irritata, nihilominus adhuc suffert me, blandéque invitat, abominor plūs, quam omne aliud malum, delicta mea, quibus velut alter Judas tradidi te inimicis tuis, detestor ea velut ingratitudinis notas infernalis. Et quamvis fixa menti stet sententia, mutare vitam in melius, nihilominus, cum meis id viribus efficere non possim, imploro auxilium tuum, tēque supplex rogo per sancta illa vulnera, quæ velut linguae totidem pro me perorant, per merita Sanguinis tui, per temetipsum, in Deum, nè permittas, ut ego amplius in nequitiae meæ instrumen-

menta vertam gratiæ tuæ argumenta,
sed ut bonitas tua, & remedia, quæ
peccato commisso tam largiter provi-
disti, sint mihi nova incitamenta te
amandi, novi stimuli, tibi imposterum
fidelius serviendi, Amen.

CONSIDERATIO III. PRO DIE MARTIS.

§. I.

DEUS odit peccatum.

Considera I. immensum odium,
quo Deus peccatum persequitur.
Si voluntas eodem motu, quo per af-
fectum amoris conjungit se bono suo,
eodem inquam motu, necessariò etiam
fugit per affectum odii à malo, dicen-
dum erit, quòd, sicut Deus totus amor
est, & amor infinitus, & suæmet boni-
tatis amor ipsissimus, ità necessariò
etiam sit totus quantus odium, & o-
dium infinitum, & odium ipsissimum
ac essentiale peccati, quod sumè abo-
minatur, velut bonitati suæ sumè con-
trarium. In unum itaque cumulum
congere, quidquid odii, vel inter ho-

mines adversūm sese invicem, vel inter dæmones damnatosque adversūs DEUM concipere poteris, quid verò id omne erit aliud, nisi umbra tantum quædam, illius abominationis infinitæ, qua Deus peccatum omne mortiferum aversatur? & hoc tam horribile peccatum tu, mi homo, sinu & corde gestas, per menses & annos, ei blandiris insuper, perinde ac si non monstrum, sed catellus foret Melitensis,

§. II.

DEUS odit peccatorem.

Considera 2. Deum non odisse solùm peccatum, sed etiam peccatorem quatenus talem: *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Sap. 14.* Quatenus nempe talem censet inimicum sibi, peccati causâ ipsi vult malum, & malum quidem æternum pœnæ ac damnationis. Quamdiu culpa ejusmodi animæ adhæret, cum ea nec vult, nec potest ullam contrahere amicitiam, aut ullum ipsius donum benevolis oculis aspicere. Finge casum, quo Beatissima Virgo Deipara peccatum aliquod comisisset lethale (quod quidem

quidem vix concipi potest, nedum fieri) illud tamen certum est, Deum ab illo momento abominaturum fuisse plūs matrem suam, quam serpentem venenatissimum, neque moram interponendam, quin eam pari cum omnibus peccatoribus sententia ad æternos ignes condemnaret, nulla habita ratione omnium illius meritorum præteriorum & sanctitatis. Hanc purissimam veritatem non satis assequi potest intellectus humanus, nec ad vivum repræsentare sibi capitale illud odium, quo Deus peccatorem detestatur. Audirem humana propemopum fide superiorem, & tamen verissimam certissimamque (B) magis displaceat DEO nostro homo, unius tantum reus lethalis peccati, quam ipsi placeant omnia opera bona rerum creatarum simul omnium, tam præsentium, quam præteriorum, & futurorum. Redi igitur stulte peccator, redi ad domum illam, ubi insanis flagitiis divinam conculcare legem solitus es, nihil scilicet obstat, quod minus redeas; recordare tamen, te perditis illis tuis

voluptatibus plus fastidii afferre Deo, quām gaudii ipsi attulerint omnes Prophetæ, omnes Apostoli, Martyres omnes, Confessores & Virgines, imò & omnes Angeli ac electi cœlites, in unum quantumvis numerum collecti, ità, ut si Deus capax esset doloris, magis affligendus foret unicō tuō peccatō, quām recreari possit omnibus illorum obsequiis. Quid igitur metuis, si peccatum non times? nunquid foret optabilius, esse canem mortuum, bufonem venenatum, basiliscum, imò & draconem, quām esse peccatorem?

§. III.

Ex prædictis Consequentia.

3. **I**TÀ tecum ratiocinare: Deus peccatum odiō persequitur, & ego illud magis, quām animam meam diligo. DEUS pluris æstimat, in genere mali, peccatum capitale unicum, quām æstimet in genere boni omnes laudes, honores, obsequia, à creaturis suis sibi præstata, & ego id tantilli facio, ut committam propter rem nihili, déque commisso gloriari insuper audeo, atque super-

perbire, imò & magnificè jactare aliis,
velut facinus dignum immortalitate.
Deus ut peccatum destrueret, stragi-
bus implevit supera inferaque, unde,
velut è theatro, odium illud infinitum
in publicam datus scenam, propter
unicam solam culpam gravem, tot suas
creaturas privat infinito bono beatit-
tatis æternæ, eisque subjicit poenæ in-
finitæ damnationis æternæ; & ego
non unius tantum peccati, sed multo-
rum mihi conscius, mente læta ac libe-
ra oculos subeo irati Numinis, rideo,
jocor, dormio, meque ipsum ingurgi-
to spurciis, & mutuatis bestiarum
exuviis, tribusque calamistratis cri-
nium cincinnis, ac aliquot pauculis
tæniarum ulnis scilicet magnificè exor-
natus, me circumspicio, velut Majesta-
tem aliquam humanâ majorem. Scire
nunc per velim, utrius horum judicum
sit sanius, uter erret, *aut DEUS errat,*
aut mundus fallitur. Ex his duobus
contrariis, dic obsecro, utrum verius?
O prodigiosam sanè peccatoris cæcita-
tem, qui beatum se existimat in cæno
iniquitatum suarum, cum tamen exo-

sus DEO ac Superis, revera sit abje-
ctior fœtente ac sordido asini cadave-
re (itâ juvat eloqui) & dæmone infer-
nali horribilior. *Unus ex vobis diabolus
est.* Joan. 6.

PRECATIO.

Potentissime DEUS, Rex regum, &
Domine dominantium, quomodo
auderet comparere in conspectu tuo
monstrum tam deformè, cuiusmodi
sum ego, inimicus tuus, contumax, re-
fractarius, rebellis, proditor, nisi id fie-
ret petendæ causâ pacis, tuæque fidu-
ciâ clementiæ? Tu, magne DEUS, ni-
hil æquè odiô habes ac peccatum, &
justissimè id quidem odiô prosequeris
infinitô, velut tibi malum, & directè
oppositum justissimæ tuæ ac sanctissi-
mæ voluntati; tametsi autem odio ha-
beas, quod ego feci, non odisti tamen,
quod tu creâsti. Agnosce, in hoc tuo
plasmate miserrimo, imaginem tuam,
tam fœdè deformatam, renova in tuo
hoc opere primos dexteræ tuæ du-
ctus, neque patiare, ut plùs possit per-
versa voluntas mea, in evertendo cœ-
pto tuo, quam omnipotentia tua, in

eo perficiendo. Ecce ! ut ego miser
ac miserabilis , prostratus ante thro-
num Majestatis tuæ , supplex peto ve-
niam culparum mearum , & omni nisu
liberæ voluntatis meæ retracto , abo-
minor,& perinde, ac non facta, esse vo-
lo omnia illa facinora , quæ inimici-
tiam mihi tuam odiūmque conciliâ-
runt. Solus amor, quo complecteris
me, & odium , quo persequeris pecca-
tum meum , hæc sunt, quæ ex intimo
cordis sinu exprimunt mihi pœnitentia-
cis animi suspiria , & quoniam non est
par voto meo , magna velut mare con-
tritio mea, sic tibi hoc ipsum odium tu-
um locò doloris mei, qui mihi deest,&
in hoc etiam subveni summæ miseriæ
meæ. Age igitur, mi DEUS, per aby-
sum illam bonitatis tuæ, quæ sedem fi-
xit in corde tuo , rata sit hodie inter
nos pax ista , non rumpenda in æter-
num. Ego miser peccator obediam
impostorum præceptis tuis , magnifa-
ciam gratiam tuam , & legem tuam re-
verebor. Tu viciſſim, velut supremus
omnium Dominus , affiste mihi in ten-
tationibus cunctis , defende me à peri-

culis, obliviscere omnis præteritæ ini-
micitiæ, ut tibi fideliter ad amissim ser-
viendo in hac vita, merear te amare,
et que frui æternum in altera, Amen.

CONSIDERATIO IV.

PRO DIE MERCURII.

§. I.

Pœna Angelorum.

Considera primum peccatum in mundo patratum, ejusque primum supplicium. Angeli scilicet, ante omnes alias res creatas extracti ex abysso nihili sui, in cœlo empyreo collocati, summo insuper ingenio præditi, summâque sapientiâ, nec pulchritudine inferiore, immortales denique, & Numinis videndi capaces, pro debita conditori suo obedientia ac subiectione, tertia sui parte ab eo deficiunt. Illico igitur in eos divinæ justitiæ vibrato fulmine, unâ omnes sententiâ fulminati, momento unicō in tartarum præcipitantur. Quid? inquires, multitudo tanta, par numero arenæ maris? nihil ista, nihil refractariis spiritibus patrocinatur multitudo, ratum si-

xumque est, omnes unà in gehennam
ablegantor? Atqui opera sunt manuū
tuarum, æterne Conditor, prima at-
que perfectissima; Sint enim verò ta-
lia, nunc autem peccatō contaminata,
ad rogum & ignem pertinent. Et hoc
quidem pro peccato unico celerrimæ
cogitationis? imò pro peccato lethali,
quod solum sufficit, ut odio eos ha-
beam & abominer æternū. Spatium
saltēm ipsis atque otium daretur resi-
piscendi, necdum enim alienō suppli-
ciō docti sunt sapere, necdum pœna-
rum minis territi, & nunquid ex data
ipsis delicti venia idem cedet honos
nomiae tuo? nunquid ipsi clementiæ
tuæ erunt ingratit, & non potius allia-
borabunt, obsequiis infinitis compen-
fare errorem suum? nihil ista movent
æquissimi mentem judicis: inconcussa
stat sententia, peccârunt angeli, om-
nes igitur, i&tu oculi, in ima inferni
præcipitantur. O quanta est judicio-
rum tuorum æquitas, justissime Deus!
est infinita, nec tamen eam timent
mortales! primi Regiæ tuæ Proceres
unius peccati pœnas luunt æternas,

dum mancipia interim vilissima non
desinunt absque metu peccare.

§. II.

Supplicium Protoplastorum.

2. **C**onsidera primum inter homines peccatum, quod fuit Adami, & mala quoque omnia perpende, quæ ex hac Pandoræ pyxide in mundum invencta sunt universum. Collige in unum fascem misèrias omnes, quæ vitam nostram circumstant; huc inopiam, ægritudines, ignorantias, inimicitias, famem, tempestates, pestem, lites, strages, vastitates congere; ex ossibus insuper mortuorum, quotquot unquam in terris vixerunt, in unum coacervatis cumulum, erige monumentum, & postquam attonitis oculis has omnes circumspexeris tam flebiles ruinas, ergo ne, inquies totus iste misericarum cumulus unius supplicium est peccati? hæc cíne feralis illa janua, per quam omnis iste malorum exercitus, facto velut agmine, in mundum irruit? non peccâisset Adamus, & nostri erant futura juris ac arbitrii, quæcunque uspiam

piam sunt bona, justitia, pax, natura, gratia, vita insuper nunc felix, felicissima in æternitate. O peccatum, grande malum ! cuius stygio torrente omnium inundatio malorum orbem implevit. Inutiles illæ atque inanes lacrimæ, quibus plerique mortalium suam deplorant imaginariam infelicitatem, O ! quanto melius justissimo famularentur dolori peccatorum, quæ sola scilicet in perniciem nostram tam fuere fœcunda. Quid autem verba & tempus perdo ? O pestilens peccatum ! namque & tu veneno es persimile, cuius prima inter symptomata habetur oculorum hebetatio. Ita clarissimæ veritates non agnoscuntur à peccatoribus.

§. III.

Unius peccati supplicium.

Considera denique, enumerata mala omnia nihil esse, æternis pœnis comparata, quas propter peccatum unicum anima damnata sustinet in inferno. Lubeat igitur tibi accedere non nihil ad extimum duntaxat

margi-

marginem horrendæ illius fornacis, & fixo illic obtutu, arbitrari tot animas æternum damnatas, neque ob culpas alias, quam ob ipsas met, vel pauciores etiam, quarum & tu reum te nōsti. An non horrore attonitus exclamabis? ergone pro momento unico pudendæ, sordidæque voluptatis, suppicia exsolvenda sunt inaudita, ac sempiterna? ita enim verò est; peccati lethalis tanta est malitia, tam immensa fœditas, ut puniri mereatur morte infinita, suppliciò nunquam finem habiturò. Fluxere jam annorum quinque millia, ex quo Cainus in hoc æstuantium flamarum Oceano circumnatat, neque tamen usquam adhuc littus, nusquam portus, vel à longè apparet, & post tot, tantaque suppicia, nè teruncium quidem expunxit grandis illius debiti, quod per peccatum suum contraxit. Fluent posthac quina totidem, fluent centena, imò centies millena millium annorum millia, idem tamen semper erit æternitatis initium. Tam grandi temporis fluxu videt interea DEUS animam illam, quam ipsem
con-

condidit ad imaginem suam, videt profundissimæ æternorum ignium, & suæ desperationis abyssō absorptam, audit gemitus, audit clamores, neque tamen ulla tangitur illius commiseratione. Viscera illa tam teneræ plena caritatis, ut vel unius curam formicæ habeant, nunc usque adeò sunt indurata, ut nec hilum moveantur desperatione creaturæ, olim in carissimarum numero filiarum adamatæ. Ecquod fel illud est & absynthium, cuius unicâ guttulâ immensum mare dulcedinis in perpetuum amarescat? hoc fel est peccatum: *pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit DEUM suum.* Oseæ 14. Mira hæc tibi forsan videntur? adde & hoc, quòd peccatum nunquam ad condignum (cum scholis loquor) puniatur in inferno. Tametsi DEUS uni animæ, propter unicum solum peccatum, imitteret omnem illam pœnarum ac suppliciorum tempestatem, qua omnes simul dæmones ac damnatos sine intermissione afflit, parùm adhuc foret id omne præ unius merito peccati. Non potest DEUS unquam, quantum-

tumcunque vibret i^{ct}um, ferire peccato-
rem tam graviter, quin feriat lenius,
quām peccatum mereatur (C.) Nunc
ergo intelliges tandem, quale quan-
tumcunque sit malum, offensa boni in-
finiti. Ego certe non invenio tinctoria-
ram nigriorem, qua tam fœdam tibi
speciem lethalis peccati, magis graphi-
cè depingam.

P R E C A T I O.

O ! Quām parūm cognovi haete-
nus, mi Deus, monstrosam pec-
cati mei malitiam, quām parūm cogno-
vi. Nempe & ego infelix in illorum
sum numero, qui, dum te offendunt,
nesciunt, quid faciunt. Quòd si un-
quam satis animo penetrâssem, suppli-
cia inferni tam immania, nihil tamen
esse, nisi umbram mali, præ peccato,
quod verum unicūmque est malum ; si
penetrâssem, in irrogandis peccatrici
animæ suppliciis, quantumvis æternis,
majorem tamen clementiæ, quām justi-
tiæ tuæ haberi rationem, pœnam om-
nem infinitè minorem esse meritō ; si
hæc, inquam, satis ego penetrâssem, ec-
quî fieri poterat, ut unquam pecca-
rem ?

rem? quantum autem abfuit, quin
meo ipsiusmet irreparabili damno co-
gerer experiri certissimas has veritates,
amandatus ad feralem illam terrifi-
cāmque noctem, cui nullus in æter-
num sol exoritur? quām steti vicinus
casui, jam jāmque lapsurus in horren-
dum illud barathrum, cujus in extre-
mam oram jam multoties fueram dela-
tus. Tibi igitur gratiæ debentur, mi
DEUS, qui mecum egisti secundūm
magnam misericordiam tuam, post ju-
stitiam in alios tam severè exercitam,
à quibus tamen illa leviùs quām à me
fuit irritata. Et ego, post tot miseri-
cordiæ tuæ in me exhibita argumenta,
rursum te offendam? ah! non admit-
te, mi DEUS, tantum nefas; nimis fui
cæcus hactenus, quod injuriâ affe-
rim bonitatem illam infinitam, quæ o-
mnium amores hominum meretur.
O! ut facta mea præterita reddere in-
fecta possem, quām libens facerem,
quibuslibet impensis meis. Tu, mi
DEUS, qui tuam hactenus clementiam
exercuisti in peccatore, exere nunc
potentiam adversùs peccatum, istud
de-

destrue, istud redige in nihilum, non tam quia mihi noxium, quam quia tibi summè contrarium, & cordi tuo super omnia inimicum. Ità ego duplice liberatus malo, culpæ atque pœnæ, in illa beatorum Patria laudabo nomen tuum assidue, & misericordias tuas in æternum cantabo. Amen.

CONSIDERATIO V.

PRO DIE JOVIS.

Paccatum in Christo punitum.

§. I.

Debitum peccatō contractum.

Considera, quantum debitum contrahas apud DEUM, cùm peccas. Hinc Justitia Divina cupit sibi satisfieri, clamans: *redde quod debes*, illinc verò satisfaciendi nec via, nec modus apparet. Conferant preces suas unum in cumulum Sancti omnes, conferant & fusum sanguinem omnes Martyres, addant & amorem suum omnes Angeli, ipsaque demum Mater Deipara meritorum suorum thesaurum huc congerat; omnis hic satisfactionum apparatus

ratus nē unicum quidem potis est expungere lethale peccatum. Plus ajo: finge animō, rerum omnium Conditorēm DEUM, voce illa omnipotente, quā ex nihilo produxit hunc mundum, eādem ipsā producere totidem alios, quot sunt arenæ grana in littore maris, eōsque omnes impleri animabus sanctis, quarum quælibet meritis superet Reginam Sanctorum, Virginem Deiparentem; (D.) dico, citra ullam veritatis injuriam: quòd, si omnes hæ sanctæ animæ, mille sæculis, omni austernitate vestium, ciborum, jejuniorum, vigiliarum, corpus emacent, si diu notwithstanding precibus instent apud DEUM, sanguinem è venis fundant, se ipsos offerant in holocausta, dico inquam: quòd omnia hæc opera, aut quæcumque alia in censum veniant, æquissimâ divinæ justitiæ staterâ trutinata, tantum ponderis non habeant, quantum habet peccatum unicum lethale; nec etiam per totam æternitatem, quantumvis millies multiplicata, ejusmodi conjectura sint summam, ex qua satisfieri debito huic possit (E.) Id recte intelligi.

telligendum est: nempe ex eo, quod peccatum sit injuria Majestatis infinitae, contrahit inde aliquam malitiæ & deformitatis infinitatem, quæ rei creatæ obsequiō expleri neutiquam potest.

§. II.

Christus solus huic debito satisfecit.

Considera secundò, quod, cùm impar sis solvendo huic tam immenso debito, DEUS ipse soluturus venerit in hunc mundum, & indutus humanam carnem, per bonitatis quendam excessum, sibimet ipsi imposuerit onus satisfaciendi divinæ justitiæ, ad quod opus erat infinito meritorum thesaurō. Huic fini, quamvis unicum susprium à Christo emissum, sufficeretur erat abundantissimè, nihilominus ad demonstrandum odium suum adversus peccatum, & inculcandam nobis malitiæ ejus gravitatem ex pretio medicinæ, subdidit semet sponte sua tantis doloribus internis externisque, ut eorum comprehendere magnitudinem intellectus humanus nequeat; & divinus Vates, visa eorum imagine quampliam,

piam, aliud aptius nomen non repere-
rit, quo compellaret, quām vastissimi
maris, circumquaque latissimē diffusi,
nec ullo termino aut litore coērcendi.
Pone tibi ob oculos aliquantis per Cru-
cifixi servatoris tui imaginem attentiūs
considerandam, vide omnibus patien-
tem sensibus, singulos quippe propriū
suum tormentum exercet, vide mem-
bris etiam omnibus excarnificatum, si-
quidem à planta pedis ad verticem us-
que capitis non est in eo vel tantilla
pars cruciatu suo immunis, vide ab o-
mni hominum genere divexatum, qui
tametsi in aliis omnibus discordes, in
id solūm conjuraverant collatis calcu-
lis, ut DEI filium exquisitissimis tor-
mentis, citra coīservationem, excar-
nificant ; perpende quid sit, virgi-
neum illud corpus, ex perfectissima sui
constitutione, delicatissimo sensu præ-
ditum, subjici crudelissimæ carnificinæ
verberum, quæ in ipsum sævæ instar
grandinis, ictibus millenis aliquot ca-
debant, non flagellis tantum, sed &
catenis, & nodosis fustibus incussa ; à
sceleratis illis manibus carnificum,
tum

tum suamet rabie , tum instigatione
dæmonum supra bestias sævientium.
Perpende quid sit , inaudito tormenti
genere redimiri coronâ , cujus spinæ
duæ ultra septuaginta , illam divinæ
sapientiæ regiam , caput illud adoran-
dum, totidem mucronibus immaniter
confodian. Quid sit , tres horas in-
tegras pendere , tribus clavis suffixum
cruci , nudum , citra ullam virium re-
storationem, ab omnibus derelictum,
denique acerrimos inter cruciatus ,
præ dolorum vehementia , super infa-
mi ligno mori. Spina unica , plantæ
leonis infixa, regi illi animalium extor-
quet præ dolore rugitum , quis igitur
quantusque fuerit cruciatus , tantò
temporis spatiô , tribus duntaxat cla-
vis , totius molem corporis sustinere ,
caput habere tot spinis transfixum , ali-
quot millenis vulneribus fundere san-
guinis rivos ; quis inquam iste quan-
tusque fuerit cruciatus ? adde huic
dolorum cumulo opprobria insuper ,
ignominiosa blasphemâque dictoria ,
adde internos , eosque longè gravissi-
mos cruciatus , quibus amoris sedes ,
cor

cor illud amantissimi JESU, multò acerbiùs lancinatum est, atque hos, mensurā amoris ipsius erga patrem, & odij adversūs peccatum magnitudine emetire. Sunt, qui scribant ex Doctoribus, Christum tantum fuisse passum, quantum pœnæ temporalis merebantur in hac vita omnia totius mundi peccata præterita, præsentia, ac futura, neque id solum æstimato valore, quem Christi tormenta à Deitate trahebant, sed etiam servata proportione, quæ, ex solis naturæ humanæ viribus, reperiiri debebat debitum inter & satisfactionem. Quod si ità est, quis unquam cogitatione exhaustiet abyssum illam pœnarum, quis fundum attinget amarissimi hujus dolorum Oceani? id sanè certum est, atque indubitatum, non sufficiat fuisse, citra grande miraculum, tam immanibus tormentis Christi servatoris vitam; sed idem ille DEUS, qui toties patrat prodigia, nè fideles sui cogantur pati, eadem in semetipso tunc iteravit, ut pati posset omni humana fide majora.

§. III.

Quid ex prædictis sequatur.

3. **T**à ratiocinare : si peccatum foret malum tantùm imaginarium, si jocus & sarcasmus trivialis, tantóne misu, divina Numinis sapientia, ad illius destructionem fuisset allaboratura , ut plecheret illud tam rigide, non solùm in eo , qui commisit, sed in ipsa filii sui unigeniti innocentia, qui pœnam illius luit pro aliis ? certum est atque indubitatum, divinam justitiam luculentius demonstrasse rigorem suum orbi, uno flagelli ictu , sanctissimo Servatoris Corpori inflito , quam si in frusta comminuisset stellas omnes, evertisse elementa , homines omnes & angelos deturbasset in infernum ; minima quippe pœna Dei - Hominis , comparari non potest ruinæ omnium simul rerum creatarum. Quid porrò erit, non levem ictum unicum infligere , sed toti ignominiarum ac tormentorum Oceano immergere vitam Dei - Hominis ? O ! quantum igitur diversa est apud cœlestes peccati æstimatio , ab ea , quæ sit à nobis in patria ista ignorantia ac tenebra-

brarum ! quam longè alia est divinæ
justiciæ trutina , quæ tamen nec falli
potest, nec fallere ! Secundùm hæc
perpende animo duas summi momenti
veritates , quarum prima est : quoties
peccas post Christi mortem , festinare
te rursus, ad eum de novo affigendum
cruci : nec mirere ; non mea hæc est,
sed Spiritus Sancti sententia ; rationem
accipe , quia talem scilicet repetitis Dei
offensam, cui compensandæ ex rigore
justiciæ, minor non sufficit satisfactio,
quam quæ in monte Calvariæ ipsa Dei
morte exacta est. Unde in tuo cor-
de, mi homo , peccatis commacula-
to reperit Christus flagella sua , repe-
rit spinas , clavos , proditiones , insul-
tationes , accusationes , condemna-
tionem , ipsam denique crucem repe-
rit. Altera veritas est : quod pec-
cando, vires salutiferæ Christi mortis,
quantum in te est, infringas, & ipse ob-
stes , quod minùs salutis tuæ effectum
fortiatur opus illud, omnium , quæ o-
mnipotens Dei caritas æterno tuo bo-
no destinare potuit, maximum , præ-
stantissimumque. Poterat hæc consi-

deratio, Christo è cruce pendenti, pellicere ex imo corde amarissimas lacrymas, cùm videret mortem suam, omnium saluti de se abundantissimè suffeterat, tam paucis fore proficuam; & peccatum insuper, tantis à se laboribus ac impendiis exagitatum, invenire adhuc refugium in cordibus tot peccatorum, qui culpâ suâ absque fructu prodigant arrham illam paradisi.

P R E C A T I O.

SI unquam aliàs, nunc certè tempus est exhibendi te mihi DEUM misericordiæ ac benignitatis, JESU mi amantissime, Conditor ac Redemptor, atque omne bonum meum. Ecce monstrum ingratitudinis ac perfidiæ sistit se divino conspectui tuo. Quid facere poteras amplius in gratiam mei, quàm mori in cruce? poterásne majori pretio regnum tuum ac potestatem mercari, quàm quo salutem meam redemisti? quid dixerint Seraphini, cùm DEUM viderent, inter duos latrones cruci affixum? mori DEUM, & mori quidem inter tormenta tam immania, inter opprobria tam nefanda, fluentibus

Etibus doloris obrutum decumanis?
nunquid par erat, ut excelsæ illæ men-
tes, attonitæ obstupescerent tam in-
exspectato caritatis excessu, cuius ca-
pax non erat cor aliud, quām divinum?
Sed en! nova admirandi materies! en
prodigium ingratitudinis, supra boni-
tatis excessum, novum atque insolens!
post tot perpessiones, post tantum san-
guinis prodigè effusum, quos fructus
refers mi DEUS? nondum expugnare
potuisti ingratum hoc cor meum?
Vah! propodium meum & dedecus
abominandum! post mortem mei cau-
sâ exantlatam, potui contemnere te,
potui renovare vulnera tua, novisque
sceleribus tuum conculcare sangu-
inem? Ah! ut nunc saltēm parem ingra-
titudini meæ sentirem dolorem, ut pœ-
nitentiam saltēm pro amore, pro san-
guine lacrymas redderem! Sed & istie
deficio miser, neque aliud mihi restat,
quām ut ad te configiam mi DEUS!
& desiderem hunc dolorem, & ex toto
corde flagitem. Vides Domine, & scis,
me hunc non mereri, sed & scis, con-
qui me cum non posse absque te; ex

me cadere possum, at non resurgere,
averti à te, sed non redire ad te, pec-
care, sed non pœnitere. Tu Amator
animæ hujus fidelissime, reliquis misé-
rationibus tuis etiam hanc adde, ut
operi manuum tuarum porrigas dex-
teram, mēque miserum subleves atque
sustentes ; ego amori tuo vietas do
manus, æstimo & amo te super omne
bonum, & propter hunc solum amo-
rem tui, abominor peccatum super o-
mne malum, detestor illud, & execror,
velut causam perpessionum tuarum,
tuæque mortis unicam originem. Pa-
trocinentur jam mihi vulnera illa, pro
mea salute patentia, impetrent mihi
misericordiam, gratiamque abundan-
tem, ut moriar priùs, quam te rursus
offendam. Amen.

CONSIDERATIO VI. PRO DIE VENERIS.

Mors.

§. I.

Quid sit Mors ?

1. **C**onsidera, quid sit mors ? Mors
est perpetua separatio ab Orbe
hoc

hoc universo. Memento igitur, pau-
lò pòst relinquendum tibi esse, quid-
quid in vita carum habueras. Deser-
tes igitur parentes, deserteres liberos, de-
serteres amicos, deserteres omnem supelle-
tatem, familiaritatem omnem, obscœ-
nas tuas delectiones, domum illam
deserteres, quam nunc inhabitas, citra
spem ullam, eam unquam revisendi;
migrabis dehinc in regionem aliam,
ó ! quantùm à nostra hac diversam, ubi
nempe nihil valet, quidquid istic ma-
gni æstimatur. Jam jam imminet fata-
lis ille dies, ad cuius exortum manè vi-
ves, Vespere morieris, vel certè vice
versa, quem Vespere occiduum vide-
bis solem, non videbis manè rufus
orientem. Tunc impositus mortuali
feretro, delatus ad templum, defodie-
ris humo, tecumque omnis tui memo-
ria tumulabitur. Ibi cadaver tuum,
lacero centoni involutum, squalidum,
deforme, fœtens, subtùs habebit ver-
mes, suprāque bufones; hujusmodi
erit lectus tuus, hi familiares & amici.
Ecce ! quò tandem redeant illæ carnis
tuæ voluptates, tam molliter enutri-

tæ, tam indulgenter habitæ, tam indignis pastæ deliciis. Hæc igitur causa erat, cur universus misceretur orbis, ut lautius nempe convivium epulaturis vermibus in sepulchro instrueretur : Quid verò censes de veritate horum omnium, quæ recenseo, an quidquam exaggerationibus, ultra veri mensuram augeo, an dico, quod non tuismet ipse quotidie cernas oculis ? per igitur tuam te salutem rogo, quæsóque, ut omni vespere imposterum, priusquam somnum capias, cùm jam supinus lecto incumbis, clausis oculis, protensis pedibus, manibus supra pectus compositis, id tecum seriò pensites : ità profus post breve tempus in sandapila mea componat ; & ego tamen hujus immemor fati mei, vivo quasi nunc quam moriturus.

§. II.

Mors certa & incerta.

Considera secundò, hanc separationem, quam mortem vocamus, certam esse & incertam. Certum est neminem ab hac esse immunem, sive sit Imperator, sive Rex, sive ex magnatibus

bus quispiam, non magis scilicet, ac
vilissimus quisque ex ima plebe: mors
in grandi hoc prato eadem falce, ho-
râ eâdem, demetit perinde flores, ac
gramina. Quando autem, & quomo-
do instet hic ictus, quis nostrum no-
vit? Age dic mihi, obsecro, si nôsti,
quo tempore, quo fato, ex hac vita sis
migratus: noctûne, an interdiu? la-
bente hoc año, an sequuturis, & quod
caput rei est, dic, an habiturus sis o-
tium, morâmque temporis, ante obi-
tum animi maculas necessaria exomo-
logesi eluendi, an etiam copiam con-
fessarii, qui morituro assistat? itâne
certò nôsti, animæ tuæ rationes tam
accuratè à te subducendas, ut ad rigi-
dum examen æquissimi judicis nullo
comperiantur vitio laborare? osten-
desis cautionem, quæ securum te red-
dat victoriæ in ultimo agone, ubi om-
nes adversum te vires colliget hostis
Tartareus, feliciter reportandæ: Sed
ô nos miseros mortales, qui nihil sci-
mus aliud, quam certò nos morituros,
& brevì quidem, & cùm minimè cogi-
ramus! Quòd si ex Angelo, DEI nun-
C 5 tio,

cio, intelligeres, intra annum te moriturum, quot quantaque ex hoc temporis momento cumulaturus essem pietatis ac pœnitentiæ opera; nunquid autem accidere potest facillimè, ut sequenti mense sepeliaris? ubi igitur pietatis ac pœnitentiæ opera? at enim nihil aliud curamus, quam ut stabilem figamus sedem in hoc lacero tugurio, quod in momenta ruinam minitatur. Jam has delicias venabor, inquit non nemo ex ista tribu ceterorum, vindicabo hanc injuriam, hoc prædium vendicabo, dum interea laneo pede mortis subrepit, & omnia hæc infantum crepundia, omnem hunc vitreum apparatus, hæc castella aëri inædificata, disjicit, evertit, pessumdat. Quæ major insanias, quam momentò transitura cutare unice, ne cogitatione quidem attingere æternum duratura?

§. III.

Semel tantum morimur.

Considera tertio, hanc ab omnibus rebus terrenis separationem, immanem hunc transitum ex hac vita in alteram, non fieri, nisi semel duntaxat, neque

neque amplius; ità, ut semel istic errare sit errare æternū, perisse semel æternū est, sive cadat arbor ad Austrum, sive ad Aquilonem, quocunque semel ceciderit, inquit servator, ibi manebit in æternum. Quantō igitur studiō quemlibet oportet curare Christianum, ut cadat ad dexteram salutis. Qui autem moriendo cupit ad dextram cadere, declinet à sinistra vivendo. Et difficillimum sanè est ex omnibus, quæ peccatori evenire unquam possunt, male vivere, & bene mori, quam rem nihilominus, tot ac tanti spontaneæ ignorantiae tenebris excæcati censem ent esse facillimam. Ratio hujus difficultatis est, quòd mors nihil sit aliud, quam ultima vitæ Echo, ità, ut, qualis est vita, finis sit ità. Si exordium telæ sit nigrum, nigrum item & medium, terminus etiam erit haud discolor. Verum itaque est, quòd, qui male vivit, male etiam moriatur. Tu interim, care Lector, quid agis, ut bene moriare? quo studio collimas ad metam, à qua si aberres, te unà, tecumque omnia, in æternum perdidisti:

quid agis? sine, eloquar: à primo ma-
nè ad seram usque vesperam millenis
circumvolutari sordibus, à primis anni
Calendis ad ultimam usque diem pec-
cata cumulare peccatis, menses inte-
gros, fœtentium ad instar corvorum,
pasci cadaveribus, & semeras inter os-
sium reliquias sordide deliciari; ex his
quisquiliis, ex hoc sterquilinio, cre-
disne, momentō unicō elevandum te
esse ad usque cœli empyrei, & felicissi-
ma beatorum limina? per me credas
tu licet, ego sanè non credo. Quid
verò sentiam, lubeat nunc audire; re-
tene, an secus senserim; experiere pau-
lò pòst. Si vis salvus fieri, aliam viam
ingreditor, aut enim vita mutanda est,
aut æternæ salutis facienda jactura.
Quæ seminaverit homo, hec & metet. Gal.
6. Qui male vivit, male & moritur.

P R E C A T I O.

SApientissime Cognitor omnium
mearum infirmitatum, & unicum
illarum remedium, quanta cum provi-
dentia incertam mihi esse jussisti diem
mortis meæ, ut nunquam scilicet sécu-
rus insidiarum ab hac mea fatali hoste

semper vivain sollicitus & circumspetus, neque ullo tempore arma dimittam ē manibus, velut si pugna omni momento instaret, & hora quælibet foret ultima vitæ meæ. Hunc ipsum iafinem, toties mihi inculcas in divinis scripturis hanc veritatem, venturam scilicet furis ad instar mortem, cùm minimè cogito; id ipsum quotidiana me docet experientia, dum sæpiissimè video mortuos insperatò efferri, qui paulò antè mecum vixerant, & migrare ex hac vita, quos habueram antè contubernales. Hæc tamen omnis providentia tua, benignissime DEUS, quid in me frugis fecit? Scio etenim, mortem præ foribus præstolari, scio, momentis singulis adrepere propriūs, nihilominus ego, velut bellua rationis expers, velut ovis ducta ad macellum, jam collō funi innodatus, rideo, joco perinde, ac nunquam supplicii mei termino admovendus. Ubi præparatio ad supremum illum agonem, cuius pavor maximis quibusque Sanctis gelidum sudorem excivit, ut, tametsi columæ essent tam firmæ, non secus tamen,

men, ac folia ventō agitata, totis artibus contremiserent? Ubi cura premittendi precum, eleemosynarum, & poenitentiarum commoneatum in alterum orbem, ubi nihil reperiam nisi ante premissum? enim verò à me sunt contraria potius omnia, dum nempe nil aliud cogito, quām ut domum mihi exstruam in mobili hac arena, ubi certus sum, nondiu substitutam, cūm & timas jam agat, jámque casum minitetur; quanto melius ejusmodi fabricaretur palatium, cuius æterna est inhabitatio, tum scilicet, cūm ibit homo *in domum aeternitatis sua.* Eccles. 12. Ah benignissime DEUS! tu mihi omnem preclusisti effugiendi viam, & ego tamen ex amoris tui amplexibus violenter me proripio. Quod si presentia bona ego non ultro deseram amore tui, nunquid illa, ut fugitiva & evanida, jam nunc deserunt me? ita omnipotens est, mi care JESU! atque hinc, si cæcus fui haec tenus, non ero impostum; video nunc, & agnosco, propterea prorogari mihi vitæ meæ spatium, ut ad bene moriendum me preparem, mi-

militis instar generosi, qui in ludicris semet exercet prius, quam pugnæ aleam serio subeat. Ego igitur deinceps in id solum intentus, erit hoc summum maximumque negotium meum, in quo vertuntur omnia, quod *unum est necessarium*. Tu me adjuva, mi DEUS, efficacissimâ gratiâ tuâ, ut animosè spernam omne, quod hodie est, & cras petit, neque unquam committam, ut in me cadat illud Jobi 24. *Dedit ei DEUS locum pœnitentiae, & ille abutitur eo in superbiam.*

CONSIDERATIO VII. PRO DIE SABBATHI. Judicium particulare.

§. I.

Reus.

I. **C**onsidera quis sit reus, qui ad hoc judicium rapitur. Ejus Personam ager anima tua, quæ eodem ipso momento separationis suæ à corpore, eodemmet loco, et cùm videbit tribunal horrendum, à quo sententiam exspectet. Eò pertrahetur illico sola-

de-

destituta cognatis, amicis, servis, exuta
honoribus, opibus, patrociniis nuda-
ta; Angelo tutelari, velut teste, latus
alterum, alterum stipante Dæmone, ut
accusatore; quorum ille bona, hic ma-
la in medium afferet, quæ gessisti. Ubi
nunc amici illi, & amicæ, quibus toties
postposita est DEI amicitia? nullus us-
quam comparet, qui vel verbô patro-
cinetur unicō, de æterna salute peri-
clitanti. O Conditionem peccatoris
expavescendam! cùm innumeris ipse
onustus flagitiis, tot divinis admoni-
tionibus refractarius, tantarum reus
ingratitudinum, tam imanum convi-
ctus scelerum, in utriusque bivio æter-
nitatis constitutus, hinc præmij, indè
supplicij, utrobique æterni, cœlum in-
ter Tartarūmque medius, incertus, an-
ceps, attonitus, tremens, intueri coge-
tur judicem à se toties offensum, ex-
spectare sententiam, à qua nulla datur
appellatio, nulla provocatio admitti-
tur; atque hæc omnia, tam horrifica,
tamque horrenda, jam imminent capi-
ti tuo, mi Lector; & forsitan hoc ipsum
cubiculum, in quo hæc legis, vel certè
illud

illud alterum, quo toties peccasti, hac ipsa hora jubetur esse theatrum funeris illius tragœdiæ. Forsan hi parientes jam hoc momento in apricum proferent flagitia; tu tamen his nihil moveris, tuique tuæque salutis incurius, pergis porrò peccare.

§. II.

Judex.

2. **C**onsidera Personam Judicis. Se debit pro tribunali ipse DEUS, non jam mitis ac mansuetus, non velut agnus, ut tollat peccata mundi, sed terribilis atque minax velut leo, ut puniat flagitia, palamque faciat orbi, non minus infinitam esse justitiam suam, ac olim misericordia fuerit infinita. Quod ibi cor tam intrepidum non expavescat ad aspectum judicis, cuius sapientiam nemo fallere, justitiam nemo corrumpere, potentiam remorari nemo queat, quin exactissime judicet, plectat severissime? Ad radios illos fulgentissimos divinæ faciei, velut purissimi solis, patebunt omnia peccata nostra: mala nempe omnia, quæ vel in puerili, vel

vel in juvenili, vel in virili, ipsaque de-
mum decrepita ætate (ubi peccata nos
potius deserunt, quam vicissim nos ip-
sa) patrata sunt; bona omnia, quæ ne-
gligenter, citra intentionem debitam,
cum factorum potius mysteriorū abu-
su, ac festorum contemptu, gesta sunt;
bona insuper neglecta, horæ perditæ,
divinæ inspirationes rejectæ, opes malè
impensæ, & in superbiæ, luxus, ac lasci-
viæ irritamenta expensæ, quæ paupe-
rum eleemosynis debebantur; pecca-
ta denique non impedita ab ijs, quibus
ex officio id suo, parentum, Domino-
rum, Magistratum, incumbebat. Hæc,
inquam, omnia patefaciet divinus ille
sol justitiae, ad cuius lumen aperientur
abscondita tenebrarum, & revelabun-
tur secreta cordium. Et revera, ad in-
currendum æterni ignis supplicium, il-
lius ad instar arboris Evangelicæ, ne-
cessarium non est, fructus fecisse ma-
los, sufficit, nullos attulisse. Esurivi,
¶ non dedistis mihi manducare, sitivi ¶
non dedistis mihi potum, hospes eram, ¶
non collegistis me, nudus, ¶ non cooperauisti
me, infirmus, ¶ in carcere, ¶ non visitâ-
stis

his me, inquit Christus ad damnatos,
Math. c. 25.

§. III. Sententia.

3. **C**onsidera sententiam. Examina-
tâ causâ, feretur sententia, quam
ultimam ac irrevocabilem pronuncia-
bit Christus illis verbis : *Recede à me*
maledicte in ignem aeternum. Apage te
hinc anima detestabilis, neque digna
conspectu meo, quæve intres in glo-
riam meam ; abi ad ignes æternos,
quos merentur iniquitates tuæ, abi ad
consortium dæmonum infelicissimum,
quibus totâ vitâ obedisti. Abi, te ego
potestati illorum penitus trado, sítque
tibi hic sanguis meus in damnationem,
cùm uti eo nolueris ad salutem. Ad
hoc terrificum fulmen, desertus ab tu-
telari Angelo peccator, ac Sathanæ in
prædam relictus, ex illo ipso lecto, quo
animam exhalavit, iecu oculi in aby-
sum proruet infernalem ; *in punto ad*
inferna descendet, immanis instar saxi,
citra retinaculum delabentis in pro-
fundum. Quid verò tunc ager anima
illa infelix, cùm in primo stabit inferni
limi-

limine? cùm videbit Ahenea illa claustra, nunquam imposterum aperienda exituræ, per omnem æternitatem? cùm audiet fremitus illos, & rabiosos, tum carnicum, tum damnatorum furentium ejulatus? cùm sentiet devoratrices illas flamas & incendia sempiterna? Ah me infelicem! exclamabit tunc misera & infelix anima, quid amisi olim, & quid nunc reperi! poteram esse cum Angelis & Sanctis æternum beata, nunc autem cum his dæmonibus torquebor in æternum. Mihi destinata erat cælestis illa gloria, mihi parabatur æterna hæreditas, mihi fundebatur sanguis ille divinus, pretium beatitudinis meæ, ego autem vesana, pro obstinata quapiam imaginatione, pro sordida voluptate, omne hoc bonum commutavi cum miseria sempiterna, ô peccata, diris omnibus execranda! execrandæ voluptates! dæmonia execranda, quorum decepta sum fraudibus! Diem nigerrimô notandam calculô, & nefastorum omnium maxime nefastam, quæ in lucem me dedit! sortem atram ac nefandam, quæ mihi obtingit!

tigit ! ergóne nulla in æternum spes
veniæ restat , nullus misericordiæ lo-
cus , nullus usquam boni radius afful-
get ? tunc primum , sed serò nimis , pec-
cator agnoscat , quid sit peccatum ,
quod ignorare jam plerique malunt.
Piscis , reti illaqueatus , dum infra a-
quam tenetur , non novit infortunium
suum , at verò in siccum litus extractus ,
serò suspirat aquam , elementum suum .
E contratio quis satìs explicet gau-
dium illius animæ , quæ tanquam obe-
diens filia , vocatur ad hæreditatem pa-
radisi ? quàm illa sibimet gratulabitur
de factis pœnitentiæ fructibus , quàm
gaudebit , quòd tentatoris sui subdo-
lis blanditiis fidem non dederit ? quòd
si difficile sit , animō ista concipere ,
quantò difficilius erit explicare verbis .
Elige nunc , quam mavis , sententiam ,
utriusque tibi datur optio .

P R E C A T I O .

Christe JESU , justissime Scrutator
cordium ac rerum DEUS ! si mi-
hi liberum esset eligere judicem in cau-
sa , ex qua pendet æternitas , certum est
ac

ac indubitatum, nullum mihi esse eli-
gendum potius, quām te, qui infinitē
amas salutem meam. Nihilominus ta-
men, ô ! quām justas habeo causas me-
tuendi hunc ipsum amorem tuum, ad
scelera mea tam benignum, quo me
tam diu sustinuisti ? *quid faciam*, cūn*s*
surrexerit ad judicandum DEUS? Job. 31.
Jam non video magnitudinem tuam
maxime DEUS, siquidem sedendo ex-
spectas me ; video amorem tuum, non
video justitiam, cūm verò surrexeris ad
judicandum me, quid faciam, quid fa-
ciam miser ? tunc enim verò intelligam
ego, quām graves causas habuerint
Sancti, metuendi hoc tribunal, & quām
stolidus ego fuerim, dum non metui ;
tunc cognoscam, odium tuum adver-
sus peccatum, non minùs fuisse infini-
tum, quām fuerit amor tuus erga me.
Quid igitur, quid tunc me futurum
est ? *si justus vix salvabitur*, ut inquit
æterna veritas i. Pet. 4. quid fieri pec-
catori ? & quoties ego jam meritus
sum feralem illam sententiam, quoties
jam inscriptus damnatorum catalogo ?
& verò vel hoc ipso momento quis
con-

conscientiæ meæ status? si hoc temporis puncto citarer ad divinum tribunal tuum, quo animo essem comparitus, quomodo redditurus rationem villicationis meæ? nequeo sanè inficiari coram te, æterna veritas, nequeo inficiari stultitiam meam, dum illud temporis spatium, quod mihi tua bonitas concessit, ut expungerem debita mea, ita impendi, ut aggravarem magis. Eja igitur! non ero tam cæcus impostorum, ut fui hactenus, scio, coram justissimo tribunali tuo neminem adversari mihi posse, nisi solum atque unicum peccatum, neminem patrocinari, nisi virtutem: aversabor igitur impostorum implacabili odio omne peccatum amore tui, odiō persequar velut tibi inimicum, velut summè adversum; & renunciando pestiferis illis deliciis, quas propinant sensus, vitam auspicator, ab hoc momento, Christiani hominis professione dignam, orationibus insuper, pœnitentiis, & eleemosynis sententiam mihi procurabo benigniorem. Tu, mi DEUS, qui olim mihi eris judex, nunc autem es parer, porrige

tige clementer manum tuam ex hoc
cœno eluctanti, dele maculas meas,
remitte debita prius, quam veniat ho-
ra, ad ultimum usque quadrantem ri-
gidè exigendi omnia. Juste Judex ul-
tionis, donum fac remissionis, ante diem
rationis.

CONSIDERATIO VIII. PRO DIE DOMINICA.

Infernus.

§. I.

Quid sit Infernus?

I. **C**onsidera quid sit infernus. In-
fernus carcer est infelicissimus,
refertissimus malis omnibus, uti omni
bono inanissimus. Scito igitur, quod,
quemadmodum damnati sensibus o-
mnibus corporis, ac animæ facultati-
bus offenderunt DEUM, ita quoque
sensibus omnibus, omnibusque fa-
cultatibus sint horribiliter puniendi.
Torquebuntur oculi horrore tene-
brosi carceris, fumo maleolenti, sul-
phureo igne, aliorum damnatorum
dæmonumque horrifico aspectu, quo-
rum

rum quilibet tam fœda deformitate erit formidabilis, ut S. Catharina Senensis, visa tantum obiter illorum imagine, ausa sit scribere in suis dialogis: nudis ambulaturam se pedibus super ignes, ad extremum usque iudicij diem potius, quam rursum spectaret tam horrendam tartareorum spirituum figuram. Aures porro non audient quidquam, nisi gemitus, lamenta, suspiria, ejulatus, dentium stridores, fremitus, ululatus, & maledicta ac blasphemias. Quod si canis ululans, circa aurium torturam audiri non possit, audire continuò dissonam illam atque feralem damnatorum lugentium musicam, quantum erit supplicium? Odratus affligetur dirissimè foetore loci, velut omnium sentinæ immunditiarum, graveolentiâ sulphuris, & illorummet foetentissimorum corporum, quorum quodlibet, juxta S. Bonaventuram, supra terras protractum, totum, quam latè patet, orbem, pestifera lue infectum effet. Non inferior erit pœna gustus, qui draconum felle, veneno aspidum, fame, sitiue, sine re-

focillatione torquebitur. O ! quām forent ibi delicatæ promulgides , stabulorum nostrorum camerinæ , & spurcissimæ sordidarum cloacarum foricæ , neque tamen vel istas, ad aliquod sitis refrigerium, dabitur degustare. Quid autem de tactu dicam ? qui, si gravius, sensibus cæteris , offendit Deum , graviores etiam, cæteris omnibus, pœnas dabit. Recenseas licet plagas, verbera, nervorum extensiones, vulnera, dolores viscerum , spasmos , convulsiones , ustulationes. Aliæ plagæ , verbera alia, alii spasmi, flammæ aliæ nos manent , in peccato lethifero morituros. Omnes nostri dolores, his comparati , ficti sunt, ignes pieti , non veri. Quale erit spectaculum, DEUM bonum ! videre hominem nobilem , isto manè decumbentem lectō olorinō , stratō byssinō , ab omnibus cultum , honoratum, adoratum, hoc ipso vespre mortuum , in lecto igneo deferri ad gehennam , à dæmonibus conculcari , diris devoveri à sociis, tremere, rabio- séque volutari , quin potis sit , vel in alterum latus se circummagere. Quale tor-

tormentum, recordari præteritarum voluptatum, quæ tandem abiēre in hæc tormenta, sinè spe redemptionis! Ad hæc intellectus, ignorantia excæcatus cogitare non poterit, nisi quæ summè affligunt, voluntas, in malo obstinata, plenāq; desperatione aver-sabitur usque, quod fugere non poterit, invidebit, sinè facultate nocendi, desiderabit, sinè spe assequendi. En-terminum, ad quem dicit demum tra-mes peccatorum. Quid tibi videtur? nunquid stultum est, eò, citra curam, ultrà progredi?

§. II.

Infernus æternū durat.

2.

Considera, totum istum pœnarum cumulum nihil instar fore, si fi-nem aliquando esset habiturus. Quàm immensum autem pondus addit æter-nitas! si in gehenna non nisi exiguus dentium dolor esset sustinendus, aut si nullum omnino esset supplicium, ni-si ut uno semper latere decumberes in leđo, rosis strato, ajo, æternum hunc decubitus majus fore supplicium,

D .

quàm

quàm centum millibus decies centenariorum annis, torqueri igne, finem tandem habituro. Et quis de hoc queat dubitare, si modò verborum sensum comprehendat? finiti enim ad infinitum non est proportio: malum per se leve, accedente æternitatis pondere, sit infinitum ac immensum, quid erit, si malum, intensivè quasi infinitum, sit etiam infinitum extensivè? Quòd si nec Comœdiam, spatiō temporis nimis productam, spectare possumus patienter, quomodo ignem tolerabimus clibani æternūm arsuri? O æternitas! æternitas! qui fieri potest, ut homines te non intelligant, nec tui consideratione contremiscant? siccine cùm semel faucibus suis absorptus fuero, tametsi lacrymis meis adæquavero vastum orbis Oceanum, nec momentum censebitur ppteris poenarum mearum? tametsi tot sæculorum millia decies centena fuerint elapsa, quot sunt atomi aëris, maris arenæ, guttæ aquæ, frondes arborum, cœli fidera, in aditu ero tormentorum meorum? Ergo, si DEUS hoc monstro

mento crearet universum ex solido
 ære fabrefactum, & sæculis singulis in
 eo moveretur formica unica, confe-
 ñto, etiam per hunc immanem ambi-
 tum, tam grandi itinere à corpusculo
 tam pusillo, nulla adhuc extinguetur
 flammarum mearum, nec aquæ gutta
 suppetet extinguendæ siti meæ? O
 æternitas! æternitas! & non timent
 te homines, rursum ingemino, non
 timent, nec expavescunt? imò vero
 peccatis onusti, tenuique filo fluxæ
 hujus vitæ alligati, rident, luduntque
 in extimo margine voraginis illius im-
 mensæ? O prodigium, prodigiorum
 omnium maximum! ità credere, uti
 creditur, & ità vivere, uti vivitur.

§. III.

Infernū commeruisti.

3.

Considera, à quot annis jam me-
 ritus sis sepeliri in hoc clibano
 ignis infernalis. Quot, quantique
 jam illic torquentur ob peccata longè
 tuis leviora; misericordia igitur
 DEI fuit, quod non fueris consum-

D 3

ptus.

ptus. Alioquin enim, si traditus fuisses peccatis tuis, ubi nunc fores? jam nunc, hoc momento, dum ista legis, in medio dæmonum, tremens atque ejulans, consumendus es ab ignibus illis æternis. O! ut malè sit corpori meo! rabiosè tunc exclamatus es, cujus momentaneas delicias tormentis nunc luo sempiternis. O fastus, opes, deliciæ! quid profuisti misero? ecce! quam ob breve somnium veris nunc ignibus ardeo, ardebóque in æternum. Poteram, pœnitendo pro peccatis, renunciando familiaritati mihi noxiæ, reddendo bona injustè parta, illatam condonando injuriam, poteram subtrahere me his suppliciis; hoc autem dum omisi facere, cum possem, nunc neque potero in æternum, tametsi velim. O! si daretur vel mediam horam unicam illius pretiosi temporis, quod vanitatibus, amoribus, & immunditiis perdidi, quantolibet prelio mercari, quam libenter redirem centum millibus annorum dolosiferae hujus æternitatis, neque tamen id

id queo. Hujusmodi questus editurus nunc esses in medio flammatum illarum, neque tamen unquam à Deo exaudiendos. Nunquam amplius visurus esses pulcherrimam faciem Creatoris tui, cuius amore universus ardet paradisus; nihil profutura essent universa, cum fuso sanguine, Christi tormenta. Nunc verò dum spatium morāmque prolongat temporis, eccurputas id eum agere? cur pergis peccare? cur gulâ, ac ebrietate, lusu, ac lasciviâ dilapidas? ut pœnitentiam agas, ideo moram spatiūmque concedit. Quòd si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis, ità DEUS ipse minatur per S. Lucam c. 13. dilata igitur solūm est sententia, non mutata. O pœnitentia! O infernus!

P R E C A T I O.

JUstissime DEUS, qui fieri potest, ut æternitatem mihi miniteris pœnarum, neque tamen justitiæ tuæ metum extorqueas à durissimo corde meo? an nondum igitur apprehendo, tametsi fornacem videam æter-

nùm arsuram , quantus peccati sis ho-
stis , & quàm enorme sit delictum , te
offendere , Dominum universorum ?
qui fieri potuit , ut tanta insania ni-
dularetur in corde meo , ut vivere au-
derem , vel momentô duntaxat uni-
cô , tibi inimicus ? neque momentô
tantùm , sed & mensibus , & annis in-
tegris perstigi in hoc miserabili statu ,
nihil interea immemor veterum mea-
rum deliciarum ; & quamvis tot pec-
catorum gravatus pondere , somnum
tamen capio quietissimum . O insa-
niam omnium , quæ unquam occupa-
vère hominis animum , insanissimam !
merebar dudum plecti sententiâ , ad
emendationem usque meam tam diu
dilatâ , merebar equidem , fateor , sed
tu , clementissime Deus , bonitate tua
malitiam meam superâsti ; age igitur ,
nè dignare , diutius etiam sufferre
me . En vincitum me , & captivum di-
vinæ misericordiæ tuæ ! qui me fugi-
tivum tanto labore quæsivisti , nè re-
pellas supplicem à pedibus tuis , ah !
nè rejicias animam , tam carò tibi em-
ptam , Largire fortitudinem , ut fu-
giam

giam peccatum, quod dicit ad damnationem; da gratiam, ut timeam infernum, qui separat à te, dele sanguine tuo sententiam, quâ toties damnatus sum ad infernum. Sic ego his omnibus liber, velut vivum bonitatis tuæ trophæum, misericordias tuas in æternum cantabo. Amen.



CONSIDERATIO PRO CONFESSIO- NITE instituenda.

§. I.

Quid oporteat fieri ante Confessionem.

I.

Considera, quòd, quemadmodum non sufficit æquo judici, captum tenere latronem, sed & opus est eum tollere è medio, nè noceat impostrum; ità pariter non sufficiat, accurato examine indagâsse peccatum, sed necessarium insuper sit, ut repertrum, per pœnitentiam & contritionem tollatur. Et in hoc dolore consistit essentialiter perfectio confessio-

nis, cuius habendi desiderium non sufficit, nisi re ipsa adsit, neque defensus ullo alio suppleri medio potest. Quamdiu non odisti mala commiss., pax iniri cum DEO, vel obtineri veniam neutiquam potest. Hunc dolorem oportet obtinere à DEO supplici prece, & sæpiùs repetita, per merita sanguinis filii sui, tum etiam lectione ac ponderatione gravitatis peccati, in hoc libello adumbratæ. Fac etiam procedures omni studio, ut hic dolor sit perfectus, hoc est, ut neque oriatur ex gehennæ metu, neque ex peccati turpitudine, sed solum atque unicè ex eo, quod sit DEI offensa, atque injuria summæ Majestati illata, contrarium etiam infinitæ illi bonitati, quæ amari meretur ab omnium cordibus mortalium. Aliam insuper conditio-
nem, necessè est, habeat dolor tuus, sine qua æquè foret inutilis; debet nimirum esse efficax, seu conjunctus firmo proposito, nunquam amplius lethaliter peccandi, nullo tempore, occasione nulla, quacunque demum boni assequendi, vel mali fugiendi de-
causa.

causa. Neque proinde sufficit, votum habere emendationis, sed requiritur voluntas efficax se emendandi, bonorum siquidem desideriorum plenus est infernus, ut eorum è contra, qui firmiter volunt, plenum est cœlium. Atque hoc solum propositum, velut genuinum veræ confessionis effectum, timet dæmon, & quemadmodum ipse in id unicè intentus est, ut propositum istud infringat, ità vicissim omni te studio oportet allaborare, ut implorata DEI ope, quâ omnia possimus, id ipsum coneris firmare. Ante omnia autem danda est opera, ut hoc propositum in evitandis proximis peccandi occasionibus sortiatur effectum, ubi nempe ejusmodi proximum est peccandi periculum, ut pecces toties, quoties illi te objicis, sic si dominum fortè aliquam adis frequentius, vel temporis fallendi, vel negotiorum causâ, si personam aliquam in tuis habes obsequiis, vel in ipsis etiam ædibus, vel quocunque demum modo occasionem tibi præbeat peccandi, statue tecum firmiter, removere penit-

tus ejusmodi occasionem peccandi, quam suggerit inclinatio, familiaritas, amor, aut quocunque demum alio nomine veniat, quod ad peccatum inducit, nisi sit inter illa, quæ caveri omnino nequeunt. Neque dicas: satis est, si promittam, non amplius me peccaturum; cætera non interest, ut huic amicitiæ renunciem; nè ità dicas obsecro, id enim foret sibi ipsi legem crudere pro lubitu suo, non autem servare legem DEI, qui non minus per calatum S. Spiritus, quam per os Doctorum omnium nobis inculcat debitum, fugiendi non solùm peccatum, sed proximum etiam ejus incurriendi periculum. Dic potius, si sentis aliter, nec cœlum neque animam euro; renunciare malo DEI amicitiæ, quam affectioni meæ erga hoc frustum foetentis carunculæ, erga hoc dealbatum sterquilinum, quod paulò post in fœdam dissolvetur putredinis vermiūque saniem. Ità verum tu dices quidem, experiēte tamen paulò post tuōmet damnō, quam qualēmque feceris commutationem,

§. II.

*Quid in ipsa Confessione sit ob-
servandum.*

2.

Considera, modum ac habitum, quo comparere debet peccator coram hoc tribunali, esse suimet despectionem & demissionem. Hæc facit, ut sincerè manifestes delicta tua, quin excuses aut culpam imputes aliis; neque horribis eos confessarios, qui delicta tua reprehendunt, eorumque tibi repræsentant gravitatem. Æger, qui non nisi imperitos querit medicos, ut morbis suis medeantur, quomodo seriò is optet sanitatem? quid igitur de te ego cogitem, quem videam clingues sibi consultò querere confessarios, ex eorum nempe numero, de quibus conqueritur Deus apud Jeremiam vatem, Thren. 2. Nec aperte riebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Cujusmodi peccatorum tuorum arbitros si tibi deligas, dicere planè cogar, neque dolorem peccatorum tuorum, neque animæ tuæ salutem tibi esse cordi.

§. III.

Quæ oporteat sequi Confessionem.

3.

Considera quid agendum tibi sit post Confessionem, tum erga DEUM, tum proximum, denique erga te ipsum. DEO gratias age, quod recipere te dignatus sit in gratiam suam, & delere chirographum mortis, sceleribus tuis exaratum, tum denud fidei ac obedientiae homagium illi praestabis, velut Domino ac DEO tuo, supplex etiam implorabis ejus auxilium, ut adversus omnes tentationum insultus tuam roboret imbecillitatem. Subinde rationes tuas discute, an non proximo tuo restitucionem debeas, seu bonorum, seu honoris, ac bonæ famæ, quæ statim utique & absque mora praestanda est, siquidem, citra sufficientem causam, etiam ab ijs, qui debito suo aliquando cogitant satisfacere, dilata, novam culpam efficit. Quod denique concernit temetipsum, perage illico injunctam pœnitentiam, nè qua mora in-

intercedat. Tum & de mediis cogita, quibus imposterum peccata evites. Hæc triplicis sunt speciei, & ejusmodi, ut si ritè adhibeantur, indubiam in cœpto bono perseverantiam concilient. Suntque sequentia: frequens oratio, occasionum fuga, & crebrior sacrorum mysteriorum usus. Denuò itaque propone, omni manè ac vespere precari Christum Servatorem, ejusque sanctissimam Matrem, ut in cœpto proposito, non amplius peccandi, firmum te servent atque constantem. Statue insuper, non reverti amplius in domum illam, nec illi personæ soli amplius commorari, amicitiæ illi renuntiare penitus. Quod si ingruente rursus tentatione aliqua, novo te continget peccatô illigari, statue, sine mora illud expiare per pœnitentiæ Sacramentum, ut per sacrum illud lavacrum, & Christi JESU sanctissimum corpus, novis semper viribus adversus dæmonem corroboretis. Præter hæc omnia, per DEI te amorem tuamque salutem obtestor, nè sacra exomologesi abutare, velut pec-

peccandi illicio, quod multi solent, qui semel lapsi, audent dicere: hoc nunc peccatum si exomologesi eluam, potero idem repeterem saepius, nec est, quod metuam. Potestne autem effungi ratiocinatio, hac simili, vel magis injuria DEO, vel magis noxia tibi? injuria quidem DEO, quia abuteris eodem sanguine, ad peccata accumulanda, quem ipse per poenitentiæ Sacramentum adhiberi vult, ad eademi destruenda. Tibi tuæque noxia saluti, quia nunquam securus es veræ confessionis, & tametsi confitearis integrè validèque, remanent tamen ut plurimi, etiam post confessionem, in anima noxij plurimi effectus remiforum scelerum, eum ferme in modum, quo febri jam abstersa, plurimæ tamen manent in convalecente depulsi morbi reliquiae. Et si nil aliud, remanet tamen malus habitus, hoc est, maximum salutis æternæ impedimentum. Hoc igitur bene perpende, quisquis audes dicere: Perpetrabo hoc peccatum, & dein confitebor. Quod saepius peccas, cù diffici-

lius

lius salutem assequere , tametsi rite
confiteare. Magis quippe semper ob-
tenebratur intellectus , magis obdu-
ratur voluntas , minus meremur divi-
næ auxilia gratiæ , dæmonibus è con-
tra vires accrescunt , dum tibi decre-
scunt magis magisque ; nisus enim il-
le , quo delicta à te averruncasti mi-
nora , deficit , cùm in multitudinem
magnitudinemque excrescant enor-
mem. *Super tribus sceleribus Damasci ,*
& super quatuor non convertam eum ,
inquit DEUS per Prophetam Amos
c. I.

P R E C A T I O.

O Mi DEUS ! vitæ ac mortis meæ
arbiter , in cuius manu sunt for-
tes meæ , ac rerum omnium crea-
rum , ut ingenuè fatear , coram divi-
no conspectu tuo , nullam censeo de-
lictis meis pœnam esse magis accom-
modatam , quam cæcitatem . Mer-
rer post tot tantasque prævaricatio-
nes meas , nè cognoscere quidem de-
licta mea , & velut lethargô sopitus
mererer non esse capax amplius do-
loris ,

loris, ad veram exomologesin, & ad tuam impetrandam gratiam sufficien-
tis. Quid autem? Si iniquitates no-
stræ responderint nobis Domine, fac pro-
pter nomen tuum. Jeremiæ 14. Ta-
metsi non merear ego dignè suscipe-
re hoc sacrum mysterium, meretur ta-
men illud dignè suscipi; indignus sim
ego, qui tibi serviam, dignus tamen
es tu, cui omni obsequio serviatur.
Atque ideo, DEUS mi Amantissime!
qui miseriis quondam meis tam tene-
rè illachrymatus es, qui vel sanguineo
fletu in horto delicta mea ablui-
sti, largire mihi per eundem illum pro
me tam largiter effusum sanguinem,
dolorem verum, firmumque proposi-
tum vitam emendandi, fugiendique
occasiones omnes, quæ in peccatum
adducunt. Converte te ad me, &
ego convertar rursum ad te, sana me
& sanabor, salva me & salvus ero.
Ecce congruum divinæ misericordiæ
tuæ objecitum, miseriam meam; aby-
sus hæc malitiæ invocat abyssum il-
lam bonitatis, cuius fiduciâ sperat,
non confusum se iri anima mea, sed,
demer-

demersis in mari rubro pretiosi sanguinis tui omnibus inimicis suis, sperat, obtentâ victoriâ venturam se, ut fruatur te in terra promissa Paradisi, in perpetuas sæculorum æternitates.

A M E N.



ANNO-

ANNOTATIONES.

Ad Consid. 1. punctum 1. (A.) Malum culpæ, quantum est ex se, est privatum boni divini, si esset privabile, sicut amor amicitiae erga DEUM est positivum boni divini, si esset ponibile. Cajet. p. 1. q. 19. Art. 9. Peccatum mortale talis est naturæ, ut, si possibile esset, destrueret ipsum DEUM: eò quod causa esset tristitiae in DEO, & tristitia esset infinita, ac preinde destrueret ipsum DEUM. Medin. de Pœnit.

Ad Consid. 3. punctum 2. (B.) Peccatum pluris à DEO estimatur in ratione mali, quam omnia opera bona in ratione boni; & magis DEUM affligeret, si capax esset doloris, quam omnia bona opera exhilararent. Less. de Perf. Div. lib. 13. n. 187.

Ad Consid. 4. punctum 3. (C.) Peccatum mortale verè dignum est pœnâ aeternâ, utpote offendens DEUM, non qualitercumque, sed hostiliter, ad dejicendum DEUM à sua Deitate. Cajet. 2. 2. q. 93. art. 2. Less. lib. 6. num. 189.

Ad

Ad Confid. 5. punctum 1. (D.)

*Nullam puram creaturam, quantâvis
gratiâ præditam, posse, vel pro altero
tantùm homine, condignè pro peccato sa-
tisfacere, vera Patrum & Scholasticorum
sententia est. Vasq. 3. p. 1. q. 1. dif. 4.
cap. 3.*

Ibidem (E.) tanta est peccati morta-
lis malignitas, ut posita in lance divi-
nae justitiae præponderet omnibus operibus
omnium Sanctorum, etiam si millies plu-
ra & majora forent. Neque hoc incre-
dibile videri debet. Nam omnia bona
opera, licet in se considerata, sint ma-
xima estimationis, tamen sunt instar
nihili respectu DEI, cuius Majestati &
beneficiis, sunt debita omnia ista, &
infinities majora, & plura. At conte-
nni à sua creatura, quæ infinitum a-
morem & honorem prestare deberet, si
posset, hoc maximè estimatur, tanquam
maximè repugnans ejus Majestati,
& beneficiis. Less. loc. cit.

n. 178.

IN-



INDEX.

CONSIDERATIO I. *PRO DIE SOLIS.*

§. 1.	<i>Peccatum est injuria DEO illata.</i>	<i>Fol. 13.</i>
§. 2.	<i>Quis sit offensus?</i>	15.
§. 3.	<i>Quis sit offensor?</i>	16.
	<i>Precatio.</i>	18.

CONSIDERATIO II. *PRO DIE LUNÆ.*

Circumstantiæ peccatum aggra-
vantes,

§. 1.	<i>Locus.</i>	<i>Fol. 21.</i>
§. 2.	<i>Tempus.</i>	22.
§. 3.	<i>Adjumenta.</i>	24.
	<i>Precatio.</i>	26.

CONSIDERATIO III. *PRO DIE MARTIS.*

§. 1.	<i>DEUS odit peccatum.</i>	<i>Fol. 29.</i>
§. 2.	<i>DEUS odit peccatorem.</i>	30.
§. 3.	<i>Ex prædictis consequentia.</i>	32.
	<i>Precatio.</i>	34.

CON-

I N D E X.

C O N S I D E R A T I O IV.
P R O D I E M E R C U R I I.

§. 1. Pæna Angelorum.	Fol. 36.
§. 2. Supplicium Protoplastorum.	38.
§. 3. Unius peccati supplicium.	39.
Precatio.	42.

C O N S I D E R A T I O V.
P R O D I E J O V I S.

Peccatum in Christo punitum.

§. 1. Debitum peccatō contractum.	44.
§. 2. Christus solus huic debito satisfecit.	46.
§. 3. Quid ex prædictis sequatur.	50.
Precatio.	52.

C O N S I D E R A T I O VI.
P R O D I E V E N E R I S.

Mors.

§. 1. Quid sit mors?	Fol. 54.
§. 2. Mors certa, ♂ incerta.	56.
§. 3. Semel tantum morimur.	58.
Precatio.	60.

C O N S I D E R A T I O VII.
P R O D I E S A B B A T H I.

Judicium particulare,

§. 1. Reus.	Fol. 63.
§. 2. Judex.	65.
§. 3. Sententia.	67.
Precatio.	69.

C O N-

I N D E X.

*CONSIDERATIO VII.
PRO DIE DOMINICA.*

Infernus.

§. 1. <i>Quid sit Infernus?</i>	72.
§. 2. <i>Infernus aeternum durat.</i>	75.
§. 3. <i>Infernum commeruisti.</i>	77.
<i>Precatio.</i>	79.

*CONSIDERATIO.
PRO CONFESSIONE
ritè instituenda.*

§. 1. <i>Quid oporteat fieri ante Confessionem?</i>	81.
§. 2. <i>Quid in ipsa Confessione sit observandum?</i>	85.
§. 3. <i>Quæ oporteat sequi Confessionem?</i>	86.
<i>Precatio.</i>	89.
<i>Annotationes.</i>	92.

*Omnia ad majorem DEI
Gloriam.*

*Et multorum Conversionem
peccatorum.*





